

quod si tredecim convivæ simul mensæ assideant, unus ex eis, decurrente eodem anno, mortem subiturus est. Hoc confirmat exemplo ultimæ cœnæ, cui interfuit Christus cum duodecim apostolis; Christus enim die sequenti a Judæis fuit interfectus.

HINC :

QUÆR. 1° *An ELIGIUS superstitionis argui debeat?*

2° *An peccati gravis reus evaserit?*

SOLUTIO :

261. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quærs. Affirmative* prorsus. Nulla enim est conexio inter numerum præfatum et mortis proximæ casum. Quare autem unus e convivis solus esset moriturus? Quare non duo vel tres? quare non omnes? Nec valet exemplum ex ultima cœna a Christo cum Apostolis peracta adductum, siquidem non solus Christus, sed etiam traditor Judas e vita excessit.

Refert *Tamburinus* lepidum exemplum credulitati vulgi prorsus oppositum, cujus ipse fuit testis. Sic ille: « Risi olim quoad hanc rem, et si-  
« mul amicum sum illacrymatus. Tredecim Canonici ad convivium invi-  
« tati, simul discubuerunt, ejusmodi superstitionem parvi facientes. Porro,  
« die sequenti, quidam e collegio Canonicorum qui invitatus ad convivium  
« non fuerat, obvius casu procedens uni e convivis, dixit fore ut ex ipsis  
« tredecim unus eo anno moreretur; cui alter subridens respondit potius  
« fore ut ipse non invitatus e vivis desineret, quam unus ex invitatis;  
« adeo vanam eam observantiam se existimare. Hanc non insulsam res-  
« ponsionem, mihi, idem qui respondit, cum risu narravit, et ego, fateor,  
« illam cum plausu excepi; sed cum lacrymis non post multos dies ami-  
« cum illum qui convivio non interfuerat, e vita ab inexpectata febre  
« sublatus, sum prosecutus. » *Tamb. Decal. lib. 2, 6, n. 77.*

262. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quærs.* Distinguendum est. ELIGIUS arguendus quidem est de peccato mortali, si fidem plenam hujusmodi superstitioni adhibuerit; secus vero, si egerit non certa credulitate, sed levi quodam timore ductus.

Idem dicendum est de innumeris aliis superstitionibus, quæ, si absolute credantur, a peccato mortali excusari non possunt. Si vero fiant sub incertitudine eventus, ut ex vano quodam metu, non excedunt culpam venialem, quia non videtur magna deordinatio aliquid interdum operari ob spem vel timorem alicujus rei. *Tamb., ibid. n. 20, 27 et 76.*

### CASUS VIII.

#### DE DIVINATIONE 1°.

PETRONIUS uxorem ducere statuit; dubius autem quamnam ex pluribus puellis sibi oblatis eligere debeat, ab amico consilium petit. Sic autem iste: « Perge, inquit, nocte proxima sancti Andreae inter undecimam et duodecimam horam ad flumen vicinum, et in aquis velut in speculo quodam imaginem futuræ sponsæ videbis. » Accepto consilio, præscripta nocte,

dum luna clarius nitebat, facemque quodam modo præbebat, PETRONIUS ad flumen impiger se contulit. Verum, dum super ripam stans superiori corporis parte se inclinavit, ut formam puellæ in aquis relucens perfectius contemplari posset, ripa inopinato sub pedibus dilabente, in flumen velut plumbum prolapsus fuit, et in maximo vitæ discrimine versatus est. Tandem emersus, licet ægre, frigore algens, et credulitatis pœnitens, ejusmodi artem ad sponsam futuram detegendam protinus abiecit.

HINC :

QUÆR. 1° *An PETRONIUS culpæ gravis ob hujusmodi factum arguendus sit?*

2° *Quid de illis qui in quibusdam speculis impressam imaginem futuræ uxoris, futurive mariti, aut etiam furis, inquirunt?*

SOLUTIO :

263. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quærs. Affirmative.* Medium enim istud a PETRONIO adhibitum a labe superstitionis nullatenus excusari potest, siquidem omni prorsus virtute naturali destituitur ad effectum intentum producendum. Etenim, ad quid illa circumstantia ut inspectio fieri debeat tali nocte, scilicet S. Andreae? Curnam inter undecimam et duodecimam horam? Insuper, quomodo aqua fluminis vim habere potest repræsentandi futuræ sponsæ effigiem? Sane impressio illa neque a Deo, neque ab Angelo bono, neque ab aliquo homine in illis circumstantiis prudenter expectari potuit. Ergo, si illud fiat, a solo dæmone, qui in similibus se immiscere solet, ut homines decipiat et secum in barathrum æternæ damnationis involvat, expectari debet. *Elbel, n. 505.*

264. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quærs.* Id quod diximus de illis qui imaginem sponsæ in aquis inquirunt, etiam applicandum est absolute aliis qui in quibusdam speculis prospiciunt, ut deprehendant qualis futurus sit maritus, vel sponsa, qualis fuerit auctor furti, homicidii, maleficii positi, etc. Etenim, cum nullum sit speculum habens ex sua natura vim repræsentandi res hujusmodi, hæc impressio, si fiat, a nullo alio, præterquam a diabolo, expectari potest. Igitur, quisquis tali medio utitur, evidenter convincitur se velle habere quoddam commercium cum ipso dæmone. Præterea colligendum etiam est ex hoc, scilicet, quod observari debeant plerumque nonnullæ aliæ circumstantiæ prorsus vanæ, v. g. ut inspectio fieri debeat a tali persona, tali et non alia hora, etc. Fatendum est tamen hæc et similia a simplicioribus fieri absque gravi peccato *formaliter* tali, ex eo quod in his malitiam superstitionis non deprehendant. *Elbel, n. 506.*

### CASUS IX.

#### DE DIVINATIONE 2°.

LAZARUS audivit, quod si ex filo pendeat annulus, vel lapillus, hocque teneatur inter pollicem et indicem, ita ut annulus vel lapillus pendulus maneat intra latera poculi vitrei, hic spontaneo appulsu indicet horam. Magna curiositate impulsus LAZARUS, jam experimentum erat factururus,

cum ab alio etiam audit hoc illicitum esse, utpote superstitioni obnoxium, Quærit proinde a Confessario quid de hoc sentiendum sit?

HINC :

QUÆR. 1<sup>o</sup> *An LAZARUS rei experimentum facere possit? seu an praxis illa superstitiosa sit?*

2<sup>o</sup> *An liceat experiri rei veritatem, si dubium sit an sequatur ex causa naturali, vel ope dæmonis?*

3<sup>o</sup> *An liceat experiri, ubi constat effectum superare vires naturales, sed dubium est an a Deo, vel a dæmone proveniat?*

SOLUTIO :

265. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quærs.* LAZARUS experimentum facere nequit, quia istud evidenter superstitiosum est. Etenim deest causa naturalis quæ horam indicet, siquidem id nec ex pulsu arteriæ, nec ex imaginatione, nec ex influxu siderum provenire potest. *Lacroix, n. 29. — Reuter, n. 437. — Lugo, Tamburini, etc.*

*R. ad 2<sup>m</sup> Quærs. Affirmative*, si sit ratio probabilis pro virtute naturali. Licet tunc tribuere effectum virtuti naturali, et facere experimentum. Ratio est, quia habendum est ut licitum quod non constat esse prohibitum; homo enim permanet in possessione libertatis suæ. Sed mente omnem interventum diabolicum excludere debet.

266. — *R. ad 3<sup>m</sup> Quærs. Neg.* Effectus enim, in eo casu, dæmoni tribuendus est. Ratio est, quia cum non adsit causa naturalis, sed nudum signum, nec constet Deum supplere defectum causæ naturalis, temerarium esset dicere tunc semper fieri miracula, et Deum semper humanæ voluntati, posito signo, obtemperare. Ergo prudenter præsumitur effectum a dæmone provenire. Ergo, in hoc casu, non licet experiri an effectus sit secutus, quia censeretur agens dæmoni ipsi cooperari, et velle cum eo societatem habere. Nec excusaretur quis, licet ageret joci causa, et protestaretur se nolle cum diabolo societatem habere, quia hanc societatem eo ipso practice haberet. *Reuter, n. 436. — S. Lig. n. 20. — S. Thom., etc. — V. Comp. n. 264.*

## CASUS X.

### MAGIA ET MALEFICIUM.

SABELLUS cum SIGOLENA contraxit sponsalia, proximeque intendit cum ea matrimonium inire. Sed, ecce! hoc rescit DAFROSA, SIGOLENÆ matertera, famæ perditæ mulier, et, quantum potest, obsistit; sed minime auditur. Quapropter, irata, dicit SIGOLENÆ: Contemptus mei consilii in malum tibi vertetur. Contracto autem matrimonio, SABELLUS animo ita fit averso a conjugē sua, ut eam ne videre quidem sine horrore possit. Oritur suspicio maleficii a DAFROSA SABELLO adhibiti. SIGOLENA, conquerens apud eam de aversione mariti sui, petit annon remedium noverit? « Scio quidem, » ait DAFROSA, sed tibi illud non manifestabo nisi centum scuta mihi prius « dederis. »

HINC :

QUÆR. 1<sup>o</sup> *An, in casu, rationabiliter conjici possit artem magicam, vel sortilegium, intervenisse?*

2<sup>o</sup> *Quibus mediis tolli possit maleficium?*

3<sup>o</sup> *An liceat inducere magum, ut maleficium tollat?*

SOLUTIO :

267. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quærs. Affirm.* Hoc enim videtur erui ex omnibus casus adjunctis. Aversio naturaliter sane oriri potest inter conjuges, ut multis exemplis constat. Sed enasci non solet sine causa cognita, neque adeo repente et vehementer; adde minas DAFROSÆ mulieris famæ perditæ, necnon scientiam remedii quod in promptu habere dicit, si pecunia sibi solvatur. Constat ex Scriptura exstitisse magos, ariolos et sortilegos. Id etiam ex variis locis Juris canonici luculenter eruitur. Quapropter fides non est omnibus factis diabolicis hujus generis deneganda in genere, neque in particulari, ubi indubiis indiciis constat. In omnibus retroactis temporibus exstitere perversi homines, qui, horrendo fœdere cum diabolo inito, ejus ope, miro et stupendi modo, vindictam in alios exercebant. Cur vero, in nostra tam perversa ætate, nulli hujusmodi magi et sortilegi exstarent? Cavendum tamen est, ne facilius fides adhibeatur variis sortilegiis quæ perhibentur: pleraque enim falsa sunt; et nimis credula plebs sortilegio sæpe tribuit calamitates, vel damna quæ ex causis naturalibus proveniunt.

268. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quærs.* Maleficium tolli potest: 1<sup>o</sup> oratione, pœnitentia, mortificatione, usu Sacramentorum et exorcismis Ecclesiæ; 2<sup>o</sup> remediis ex medicina petitis, v. g. ad humores atros depellendos; 3<sup>o</sup> destructione signorum quibus adnexum est pactum dæmonis, si cognoscantur.

*R. ad 3<sup>m</sup> Quærs.* Distinguendum est: affirmo, si maleficium tolli possit mediis naturalibus; secus vero, si tolli nequeat sine novo maleficio, quia sic maleficus induceretur ad novum commercium cum diabolo, et ab illo beneficium expectaretur. *S. Lig., n. 24 et 25. — Reuter, n. 440.*

## CASUS XI.

### DE VIRGA DIVINATORIA.

HONORATUS et REMUNDUS, Sacerdotes, in theologica collatione acriter inter se dimicant circa virgæ divinatoriæ usum, ad fontes detegendos, ad metalla et alia similia inveniendā. Damnandi sunt, clamat HONORATUS, quicumque virga similiter utuntur, utpote horrendæ superstitionis rei: Numquid, ait, in ligno intelligentia tanta inesse potest, ut discernere valeat res occultas, quæ ipsos homines latent? — Ast, reponit REMUNDUS, si lignum intelligentia caret, mira virtute physica pollere potest, cujus ope ad fontes et metalla moveatur. Numquid omnes naturæ vires cognoscimus, ut asserere valeamus hujusmodi effectus in virga nullatenus inesse? Ex hoc certamine nemo victor, neque victus exiit, et adhuc *sub judice lis est*. Tu vero cuinam tribuis causam?

HINC :

QUÆR. *Quid de usu virgæ divinatoriæ sentiendum? An permittendus? aut prohibendus, utpote superstitiosus?*

SOLUTIO :

269. — *R.* Quæstio de virga divinatoria reapse valde agitur inter Theologos. Alii cum *S. Ligorio*, n. 8, ejus usum in omni casu reprobandum, et eam a solo diabolo moveri ad aquas vel alias res quæsitas, absolute contendunt; alii vero contradicunt. Distinguendum esse videtur.

1° Certo damnandus est virgæ usus, quoties movetur vel non movetur ad meram intentionem illius a quo tenetur, v. g. si moveatur ad aquam in tali loco quæsitam, et non moveatur ad similem aquam transeunti obviam. Nulla enim datur proportio inter rem naturalem et hominis intentionem.

2° Damnandus quoque usus virgæ, quoties adhibetur ad furem quærendum, vel ad homicidam detegendum, et ad alia similia, ob eandem rationem.

270. — 3° Probabiliter autem non est usus virgæ damnandus, si adhibeatur ad aquas detegendas, vel ad metalla reperienda, modo protestatio fiat contra diabolicum interventum, qui forte adesse posset, et omnis animus superstitiosus excludatur. Ratio est, quia non constat deesse in aqua aut in metallis virtutem attractivam, quæ virgam moveat et inclinet: constaret tamen deesse, si cum metallis et aquis patentibus indicia ejusmodi virgæ non præberet.

## CASUS XII.

DE TABULIS ROTANTIBUS (*tables tournantes*).

CAMILLA, matrona, muliebri curiositate percita, sæpius libenti animo interfuit cœtibus, in quibus, per levem tactum extremi digiti adstantium inter se ad modum catenæ in circuitu communicantium, tabulæ in gyrum moventur, et imperio voluntatis sistunt, incedunt, in partemve oppositam recedunt, interrogatæ signis statutis respondent, imo, stupete gentes!!! calamo lapideo pedi affixo, juxta postulata quæcumque, licet prorsus incognita, responsa scripta proferunt. Sed, die quadam, perterrita, plures interrogat Sacerdotes, ut resciat an prædictis cœtibus iterum, tuta conscientia, interesse possit. Negat unus, hæc omnia diabolico interventui adscribens; annuit alter, modo intercedat protestatio contra dæmonis influxum; tertius permittit quidem experimentum motus, modo nullum interveniat voluntatis imperium, nec ulla divinatoria interrogatio, quia simplex motus per fluidum electricum explicari potest, non vero cætera.

HINC :

QUÆR. 1° *Quid ad singulas sententias?*

2° *Quid de assistentibus?*

3° *Quid de illis qui sentiunt effectus quidem illos ab agente supernaturali esse repetendos, sed eos se experiri dicunt ad dæmonis confusionem, scilicet ad diabolicum interventum ignaris probandum?*

SOLUTIO :

271. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæ.* 1° Certe diabolico interventui tribuendum est quidquid per modum divinationis habetur, quidquid divinationem sapit, seu quoties de occultis vel futuris rebus interrogationes tabulis proponuntur, et ab eis responsa signis vel scriptis obtinentur. Etenim, numquid reapse tabulæ lignæ aut marmoreæ quæstiones proponis et ab eadem responsa expectas? Non adeo insanis. Ergo ens intelligens seu spiritum aliquem interrogas, a quo tabula iners moveri possit; porro ille nequit esse bonus. Quis enim asserere auderet Deum ipsum et Angelum bonum ab eo immissum puerilibus hominum ludis intervenire, et vanissimæ eorum curiositati et impiæ voluntati semper et sedulo obtemperare? Hæc horrenda sane blasphemia foret. Neque ab animabus Deo gratis, pœnas in purgatorio luentibus, notitia occultorum expectari potest, quippe quæ ad solum Dei beneplacitum præstare quidquam possunt. Ergo ipse diabolus implicite invocatur, et ipsimet cultus contra Dei prohibitionem tribuitur.

2° Hoc posito, inaniter et impie interrogarentur tabulæ, etiam apposita protestatione contra interventum dæmonis; hujusmodi enim protestatio adhiberi quidem potest in dubio prudenti, utrum mirus effectus causæ naturali tribuendus sit, non vero quando certissime constat totam rem esse a diabolo repetendam.

3° Si vero nulla interveniat divinatio nullumque voluntatis imperium, an motus simplex a diabolo, vel a quodam electrico fluido sit repetendus, quidam dubitaverunt. Et cum fluidi electrici hypothesis risu excipi a naturalium scientiarum peritissimis consueverit, libentissime etiam effectum infernali potestati tribuerem.

272. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæ.* Quid vero de assistentibus? A peccato gravi superstitionis non sunt excusandi, nisi ignorantia omnimoda laboret; siquidem peccato aliorum cooperantur. Etenim novisti ex dictis rem totam diabolo adscribendam esse, et tu adstas quietus spectator! Non horrescis? Quinimo impiis ludis cum gaudio et risu admisceris! ad interrogationes attendis, et curiose inhias responsis! Apage!

*R. ad 3<sup>m</sup> Quæ.* Gravissime peccant et turpiter et periculose errant qui, agnito diabolico interventu, rei experimentum facere volunt, prætextu finis boni cujuslibet, etiam ad Satanæ confusionem. *Non sunt enim facienda mala, ut eveniant bona. V. Comp. n. 273 et seq. (1).*

## CASUS XIII.

## DE MAGNETISMO ANIMALI.

DIACUS, Sacerdos, doctrinæ de liceitate *magnetismi animalis* totis viribus patrocinator. Ejus praxim probat et fovet, hoc innixus principio communiter admissio: Ubi dubium est utrum aliquis effectus causæ naturali

(1) Vide, hac de re, eximia opera sequentia: *Des esprits et de leurs manifestations fluidiques*, par de Mirville. Paris, 1863. — *La magie au XIX<sup>e</sup> siècle*, par Desmoussieux. Paris, 1861. — *Les médiateurs et les moyens de la magie*, par le même. Paris, 1863.

adscribi debeat, necne, effectus ille, ut vim naturæ superans, non est habendus.

MARCELLUS, etiam Sacerdos, oppositam plane sententiam tenet ac sequitur. In omnibus magnetismi effectibus, operantem diabolum introspicit; itaque peccati mortalis reos, tum magnetizatores, tum magnetizatos reputat; nec iis ad confitendum accedentibus absolutionis beneficium concedit, nisi firmiter statuunt se in posterum his satanicis artibus renuntiuros esse.

MARCUS vero, se disputationi immiscendo, contendit distinguendum esse, scilicet, reprobandum quidem esse magnetismi usum quoties in eo intervenit divinatio, non vero ubi magnetizatus tantum in statu somni versatur, et sensationes, quas in eo statu experitur, patefacit.

HINC :

QUÆR. *Cuinam sententiæ assentiendum sit?*

SOLUTIO :

273. — R. Triplex gradus in magnetismi effectibus exhibetur, scilicet : 1° *status somni*, in quo sensus tantum consopiantur; 2° *status somnambulismi*, in quo quis, usu sensuum destitutus, videt tamen, loquitur, ad postulata respondet; 3° *mira status sui cognitio*, et remediorum sibi convenientium, necnon visio eorum quæ procul peraguntur. His positus :

274. — 1° *Tertius gradus* certo damnandus est ut *graviter illicitus et superstitione plenus*. Quid enim aliud ibi fit, nisi apertissima divinatio, quæ in omni casu abhorrenda est? Constat etiam ex damnatione S. Sedis, per tribunal S. Inquisitionis, die 30 Julii 1856, ubi inter alia dicitur de iis qui *magnetismo* operam navant : « Se invisibilia quæque conspicere effugiunt, animasque mortuorum evocare, responsa accipere, ignota et longinqua detegere, aliaque id genus superstitionis exercere ausu temerario præsumunt. » .... « In hisce omnibus, quacumque demum utantur arte vel illusionem, cum ordinentur media physica ad actiones non naturales, reperitur *deceptio omnino illicita et hæreticalis, et scandalum contra honestatem morum.* »

275. 2° *Gradus secundus*, id est *somnambulismi*, nullo pacto naturalis censeretur potest, et idcirco diabolico interventui tribuendus est. Siquidem nemo, oculis clausis, res externas clare conspiciat; nemo, alto somno consopitus, clare et distincte ad quæcumque postulata respondet. Insuper hic gradus aperte continetur in præfato damnationis decreto, ubi inter reprobanda id refertur : *Somnambulismi et claræ intuitionis præstigiis mulierculæ, gesticulationibus non semper verecundis abreptæ, se invisibilia conspicere effugiunt.*

Cæterum ille secundus gradus plerumque ad primum gradum propius accedit. Quomodo fieri potest, ut somnambuli isti adeo bene sciant ea quæ antea prorsus ignorabant? Quomodo morborum secretissimas causas, et scientiæ medicinalis vocabula prorsus ignota extemplo scivere?

276. — 3° Primus gradus, si quidem mere spectetur simplicis somni

status, censeretur naturalis potest. Sed neque hoc admitti ullo modo potest : 1° ob somni istius indolem; ita enim sensus consopiantur, ut ne ferri quidem candentis contactu persona magnetizata afficiatur : atqui hoc naturale somno non est; 2° ob improportionem causæ hunc somnum inducentis : etsi enim multa excogitata et jactata sint de fluidis, aut bioticis, aut nervis, aut magneticis (quorum alioquin existentia in casu nunquam probata fuit, et e contrario a rei physicæ peritissimis risu fuit excepta); at in confesso est jam penes omnes, hæc omnia, sicut et gesticulationes, inani imposturæ adscribenda esse, et effectum solum a sola magnetizantis voluntate pendere, ut hic, licet pluribus leucis distans, licet ignorans ubi versetur persona magnetizanda, pro libito suo somnum inducat : atqui et ista absurde naturalia dicerentur; 3° ob phænomena somnum præcedentia, antequam enim sensus penitus consopiantur, subinde, ad magnetizantis imperium, stupor quidam ac rigiditas magnetizati membra, ac modo unum oculum, modo pedem, modo digitum, etc., puncto temporis ita corripit, ut ne proprii quidem corporis membra tam facile voluntati pareant : atqui hæc naturali modo explicari nullatenus possunt; 4° denique, ut plurima alia prætermittamus, ob phænomena concomitantia seu consequentia : in confesso enim est, huic somno sponte somnambulismi, de quo diximus, statum obrepere. Hinc pronum et evidens argumentum : Licet simplex somni status naturalis esse posset, ast adjuncta omnia plane evincunt, in somno ipso adesse alterius causæ, et certe non naturalis, interventum; atqui hæc causa, ut jam ostensum est, non nisi mali Angeli interventio esse potest : ergo et primus hic gradus superstitiosus atque adeo plane illicitus dicendus est. V. *Comp. n. 276 et seq.*

#### CASUS XIV.

##### DE SPIRITUUM CONSULTATIONE.

(*Du Spiritisme.*)

HELENA, vidua, viri et unicæ filiæ præmatura morte in summum mœrorem demersa, audit inventam fuisse artem cum defunctorum spiritibus familiare commercium ineundi. Hujus nuntii veritatem probandi cupida, ad ædes sibi designatas accurrit, non sine aliquo conscientiæ remorsu, quo tamen se liberat proponendo in mente sua, se nihil agere velle quod divinæ legi contrarium sit. Accedit igitur ad *medium* (1) et significat se cupere colloqui cum viro suo et cum filia sua, defunctis. Tunc HELENA quæstiones varias *medio* proponit, et ex responsis quæ dantur minime dubitare potest se vere cum defunctis carissimis colloquium habere. Isti enim plurima referunt aliis prorsus ignota; imo ipso eorum stylo responsa edunt. Interrogati autem defuncti specialiter de statu suo præsentem, respondent se esse beatos, licet maritus aliquandiu in inferno detentus fuerit; falso enim, aiunt, gehennæ pœnæ æternæ dicuntur. Cæterum HELENAM hortantur ad virtu-

(1) *Medium* vocant *pythonem*, seu virum vel mulierem, cujus ope colloquia cum spiritibus instituuntur.

tem colendam, maxime vero ad beneficentiam erga pauperes exercendam, siquidem hæc, inquit, perfecta religio est, quæ homines ad cælum ducit, quæcumque sit hujus religionis doctrina aut denominatio.

HINC :

QUÆR. 1<sup>o</sup> *An liceat pythones, seu pythonissas, quæ media vulgo dicuntur, consulere, cum certa persuasione defunctorum spiritus respondere?*

2<sup>o</sup> *An saltem liceat hujusmodi consultationibus adesse, mere passive se habendo?*

3<sup>o</sup> *An excusentur ii qui in mente sua omnem diabolicam interventionem excludunt?*

SOLUTIO :

277. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæ.* Negative prorsus. Certum est enim nihil a Deo in sacris Scripturis apertius damnari quam hanc curiositatem, quæ homines in terris degentes ad mortuos consulendos movet (1). Pessimum igitur hoc est divinationis genus, ab ipsa idololatria non multum dissimile. Etenim quinam sunt isti qui propositis interrogationibus respondent, nisi ipsi dæmones, qui mortalium curiositate ad eos fallendos abutuntur, animas defunctorum simulantes se esse? Hujus rei argumentum est ipsa natura revelationum, quæ in his consultationibus manifestantur; cum enim multa sint quæ ab ipso medio oriri non possint, utpote occultissima, plurima simul reperiuntur falsa, impia, ridicula, quæ mendacis spiritus, seu dæmonis interventionem arguunt. Et revera, ea quæ sunt omnino occulta cognitionem et captum personæ intermediæ superant; ergo ipsius naturali scientiæ tribui nequeunt. Insuper ea quæ sunt impia, utpote dogmatibus Fidei catholicæ opposita, ut negatio pœnarum æternarum in inferno, a spiritu bono repeti nequeunt. Blasphemum quippe foret, non solum hujusmodi revelationes Deo vel Angelis bonis adscribere, sed etiam supponere divinam Majestatem vanæ hominum curiositati adeo facile connivere, et eorum insulsæ voluntati serviliter obtemperare. Putasne Deum summum et sapientissimum arcana ordinis supernaturalis, et occultissima secreta æternitatis suæ, quibus livet obviis homuncionibus vel mulierculis, ad nutum eorum manifestare vel permittere, ut indiscriminatim prodantur, cum ipsis Sanctis amicis suis paucissima revelaverit?

Nonne etiam patet totam ferme Religionem revelatam, ex doctrinæ quæ a spiritibus docetur, destrui ac penitus evelli, nihilque superesse nisi quamdam religionis umbram, quæ generali et vago nomine virtutis et beneficentiæ appellatur?

Ergo omnino reprobanda est tum consultatio spirituum, tum impia doctrina quæ ab istis immundis spiritibus perhibetur, utpote Fidei catholicæ opposita, et a Deo ipso in sacris Scripturis prohibita.

(1) « Nec inveniat in te qui ariolos sciscitetur, et observet somnia atque auguria. « Nec sit incantator, neque qui pythones consulat, nec divinos, aut quærat a mortuis veritatem. Omnia hæc abominatur Dominus. » Deut. XVIII. 10.

278. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæ.* Etiam negative. Etenim consultatio prædicta spirituum est impia, utpote mandatis Dei, et ipsi Religioni ab ipso revelatæ, opposita, atque superstitione et idololatria plena. Ergo non licet hujusmodi consultationi connivere, plaudere et cooperari. Atqui assistentia, etiam mere passiva ex cupidine vanæ curiositatis satiandæ, est conniventia, plausus, et indirecta cooperatio ad rem in se malam; ergo illa assistentia est graviter illicita. Recole dicta supra n. 272, de assistentia experimento tabularum rotantium.

279. — *R. ad 3<sup>m</sup> Quæ.* Iterum negative. Ratio est, quia, cum res ista evidenter mala sit, corrigi nequit per intentionem qua malum excludatur. Numquid enim excusaretur ille qui se e tecto præcipitem daret, eo quod intentionem se occidendi excluderet? Minime, sane. Ergo neque excusari potest ille qui dæmones consulit, licet intentionem cum ipsis commercium ineundi excludat. Ergo, non obstante bona intentione, seu protestatione contra diabolicum interventum, HELENA a peccato gravi, per se, excusari non potest. Quærat igitur solatium in oratione, in Dei obsequio, ejusque mandatorum adimplentione: hæc est enim sola via quæ ducit ad vitam. Sciat quoque se in responsis, quæ a spiritibus accipit, minime posse confidere. Etenim, si responsio veniat a pythone, incerta est cum ipse hoc ignoret; si oriatur a dæmone, non majorem meretur fiduciam, cum ipse sit mendacii pater (1).

## CASUS XV.

### DE TENTATIONE DEI.

MACRINA, Monialis, observantiarum communium parum studiosa, verum singularitatibus multum dedita et in sensu suo satis pertinax, frequenter jejunit, de nocte surgit ad orandum, et similia quædam facit, quæ illam in evidens et proximum periculum inducunt, attenta ejus physica constitutione, morbos graves contrahendi, vel etiam vitam amittendi. A Superiore sua sæpe monita ne talia faciat, nihilominus hanc agendi rationem servat, eo quod, inquit, occasionem dare Deo velit exercendi et ostendendi benignam quam habet curam de iis qui pœnitentiæ operibus vacant, simul et potestatem quam habet illos ab omni malo servandi.

Postea autem revera graviter ægotans, omnes medici præscriptiones respuit, sperans se a Deo solo sanandam.

HINC :

QUÆR. *An, et qualiter MACRINA in his peccaverit?*

SOLUTIO :

280. — *R. 1<sup>o</sup>* Peccavit graviter MACRINA contra quintum Decalogi præceptum, seipsam gravi vitæ periculo exponendo, absque ulla necessitate,

(1) Vide plura de spirituum consultatione, in variis opusculis nuper editis, imprimis, DU SPIRITISME, par le R. P. Nampon, de la Compagnie de Jésus : Lyon, 1863, librairie de Girard et Josserand. — LES MORTS ET LES VIVANTS : Entretiens sur les communications d'outre-tombe, par le R. P. Matignon, S. J., Paris, 1862.